

[SECTIO OCTAVA]

A. [Divisio Textus]

1 "Cum autem homines" etc. Postquam Magister divisionem suam praemisit et divisionis membra notificavit, in hac
 5 parte tres quaestiones movet circa istam materiam et dissolvit. Et circa hoc tria facit secundum quod movet tres quaestiones. Primam quidem de fruitionis obiecto et est: Utrum hominibus sit utendum vel fruendum. Secundam vero de fruitionis subiecto et est: Utrum
 10 Deus fruatur nobis vel utatur. Tertiam quoque de fruitionis medio, scilicet de virtutibus, et est quaestio: "Utrum virtutibus utendum sit an fruendum". Secunda ibi: "Sed cum Deus diligat nos". Tertia ibi: "Hic considerandum est, utrum virtutibus".

2 Circa primum quatuor facit. *Primo* namque quaestionem proponit dicens, quod quaestio est: Utrum homines debeant seipsis
 15 frui an uti, vel utrumque, scilicet frui et uti. Videtur enim quod debeant cum sint aliquae res; videtur autem quod non, quia ipsi sunt qui fruuntur et utuntur.

3 *Secundo* ibi: "Ad quod respondet Augustinus". Quaestionem propositam dissolvit auctoritate Augustini
 20 dicens, quod cum illud sit tantummodo propter se diligendum, in quo "vita beata constituitur, cuius etiam nos spes hoc peregrinationis tempore consolatur; in homine autem spes ponenda non est, quia *maledictus homo* qui" spem suam ponit in homine; manifeste concluditur quod nemo debet aut seipsum aut hominem alium propter
 25 se diligere; et per consequens nec frui alio, nec seipso.

4 *Tertio* ibi: "Huic autem contrarium videtur". Contra solutionem istam arguit dicens, quod *Apostolus* videtur oppositum innuere, scilicet quod homine sit fruendum, cum ait: "Ita, frater, ego te fruar in Domino".

30 5 *Quarto* ibi: "Quod ita determinat Augustinus" instantiam illam tollit dicens quod, quia *Apostolus* ait "in Domino", tollitur difficultas. Cum enim ait se homine frui Deo, innuit se potius quam homine frui Deo.

6 Postmodum ibi: "Sed cum Deus diligat nos" pertractat secundam quaestionem. Et circa hoc duo facit. *Primo* namque ad
 35 quaestionem dubitat; secundo quaestionem determinat ibi: "Non ergo fruitur nobis". Dicit itaque primo quod Scriptura sacra testatur quod Deus multum diligit nos ut *Iohannis* 3^o [patet]: "Sic Deus dilexit mundum, ut Filium unigenitum daret"; et *Ad Romanos* 5^o dicit *Apostolus* quod "commendat suam caritatem Deus
 40 in nobis"; et *Iohannis* 4^o dicitur quod "in hoc est caritas, non quia nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos"; et ideo merito dubitatur utrum ipse diligendo fruatur nobis an utatur. Et quod non fruatur manifeste patet. Omnis enim qui fruitur eget illo quo fruitur; Deus autem bonorum nostrorum non indiget,
 45 quia omne bonum nostrum vel ipse est vel ab ipso.

7 Postmodum ibi: "Non ergo fruitur" quaestionem determinat. Et circa hoc facit duo. *Primo* namque eam determinat ad hanc partem, quod Deus utitur nobis et non fruitur, quia si nec frueretur nec uteretur, non occurrit qualiter nos amaret, cum omnis amor
 50 sit fruitio vel usus.

8 *Secundo* ibi: "Neque tamen sic utitur" determinationem modificat dicens quod non sic Deus nobis utitur sicut nos aliis rebus. Deus enim utitur nobis ad suam gloriam et utilitatem nostram; nos vero aliis rebus utimur ut bonitate Dei finaliter perfruamur.
 55

9 Consequenter ibi: "Hic considerandum est" Magister movet tertiam quaestionem. Et circa hoc tria facit; primo enim in quaestione duas opiniones recitat; secundo illas opiniones concordat, et tertio contra concordiam instat. Secunda ibi: "Nos autem
 60 harum". Tertia ibi: "Sed dicet aliquis". Circa primum duo facit. *Primo* enim recitat opinionem primam dicens, quod cum quaeritur utrum virtutibus sit fruendum aut utendum, quibusdam videtur quod sit eis utendum, non fruendum; quod probant duplici ratione. Prima quidem quia secundum Augustinum est non fruendum nisi
 65 Trinitate, quod est summum et incommutabile bonum. Secunda vero quia solo eo fruendum est, quod est propter se amandum; virtutes autem secundum Augustinum propter solam beatitudinem sunt amandae.

70 10 *Secundo* ibi: "Aliis vero" recitat opinionem secundam dicens, quod aliis videtur quod sit virtutibus fruendum; et hoc probant auctoritate *Ambrosii* qui dicit quod virtutes propterea fructus sunt, quia propter se sunt amandae; et per consequens fruendum est eis.

75 11 Postmodum ibi: "Nos autem harum" has duas opiniones concordat dicens, quod ut istarum repugnantia de medio eximatur sciendum est, quod et virtutes propter se sunt amandae et propter beatitudinem solam; propter se quidem, quia delectant suos possessores sincera et sancta delectatione, et in eis imprimit gaudium
80 spirituale; propter beatitudinem autem amandae sunt, quoniam in eis non est gressus dilectionis figendus, sed et ultra gradiendo referendae sunt ad illud summum et incommutabile bonum, cui soli est finaliter inhaerendum; et idcirco proprie accipiendo fruitionem non est eis fruendum.

85 12 Postmodum ibi: "Sed dicet aliquis"; contra ista *Magister* instat dicens quod videntur in hiis dictis contradictoria implicari, ponendo videlicet quod virtutes propter se sint amandae; et tamen quod non sit eis fruendum cum frui non sit aliud quam amore propter seipsam alicui rei inhaerere. Solvit autem istam instantiam dicens, quod in hac descriptione, cum dicitur 'propter seipsam', intelligendum est 'tantummodo' et 'ultimate', sic quod ad
90 nullum aliud dilectio referatur; isto autem modo nec virtus, nec etiam voluntas nostra, nec aliquid aliud amandum est, nisi Deus; et idcirco, eo solo vere et proprie est fruendum.

95 13 Ultimo ibi: "Omnium igitur quae dicta sunt". Postquam praemisit distinctionem, applicat ad libri sui divisionem dicens, quos cum rerum aliae sint quibus fruendum est, ut Deus, Trinitas; aliae quibus utendum est, ut omnis creata entitas; aliae quae fruuntur et utuntur, ut omnes intellectuales naturae, in quibus est ratio
100 et voluntas; et aliae per quas fruimur, ut virtutes et potentiae animi, intellectus scilicet et ipsa voluntas; de omnibus istis rebus in tribus libris tractandum est, et ultimo in quarto de signis et Sacramentis. Inter res autem primo tractandum est de fruibilibus, videlicet de sancta atque individua Trinitate. Et hoc in primo
105 libro.

Haec est sententia.

1 *Libri IV Sententiarum* p. 17 n. 9-p. 20, ubi et alias auctoritates invenies, sequentibus exceptis. 38-39 Vers. 16. 39-41 Vers. 8. 41-42 Vers. 10.
31 illam/Solvit add. sed delevit B. 43 ipse/fruendo addidit sed delevit B.
49 non/in margine addidit B. 81 sed et/in textu et tantum; post correctionem marginalem et sed legit B.

B. [*Quaestio octava*:] *Utrum appetitus fruatur de necessitate ultimo fine per intellectum apprehenso.*

14 Et, quia *Magister* hic inquit an virtutibus sit fruendum et dicit quod non, quia sunt appetendae propter solam beatitudinem; idcirco, ad videndum quomodo se habet voluntas ad appetitum beatitudinis, inquirendum occurrit: Utrum appetitus de necessitate fruatur, ultimo fine per intellectum apprehenso.

3 *Libri IV Sententiarum* 17-20.

1. *Quod eo apprehenso in universali, de necessitate appetitus fruatur.*

15 Et videtur quod voluntas necessario appetat beatitudinem, dum intellectus eam concipit etiam in universali. Dicit enim *Philosophus II Physicorum* quod, sicut se habet principium in speculabilibus, ita finis in agibilibus. Sed intellectus de necessitate adhaeret principiis in speculabilibus, quamvis conclusionibus adhaeret contingenter. Ergo et voluntas ultimo fini necessario adhaerebit, quamvis contingenter his quae sunt ad finem.

16 Praeterea, omnis motus reducitur ad aliquid immobile, sicut *Philosophus* dicit *De motibus animalium*. Animal enim non moveretur, nisi alicui immobili inniteretur ut patet. Sed voluntas movetur ad diversa obiecta et habet se ad ea mobiliter et contingenter. Ergo necesse est ut in aliquo obiecto immobiliter figatur. Illud non potest esse, nisi finis ultimus. Igitur finem ultimo vult de necessitate.

17 Praeterea, voluntas necessario vult id cuius participatione vult quidquid vult. Sed participatione beatitudinis et finis ultimi vult, quidquid vult. Ergo de necessitate beatitudinem vult.

18 Praeterea, motus secundi per impressionem primi moventis tendit in eundem finem, quem intendit primum movens; si enim in

alium iam non movetur per impressionem primi moventis in ipsum. Sed voluntas movetur in omnia quae vult ex desiderio finis. Ergo nihil vult in quo non includatur desiderium finis, nec etiam resilit
 25 ab aliquo, nisi ex desiderio finis. Sequitur ergo quod non possit resilire a fine; et perconsequens de necessitate vult finem in universali ostensum.

19 Praeterea, illud quod naturaliter elicitur necessario elicitur. Sed desiderium finis ipso ostenso naturaliter elicitur a voluntate. Omnis enim natura vult et appetit naturaliter sibi bonum, iuxta
 30 illud I *Ethicorum*: "Omnia bonum appetunt", et illud I *Metaphysicae*: "Omnes homines natura scire desiderant"; et illud Boethii: "Inserta est nobis naturaliter veri bonique cupiditas". Ergo voluntas de necessitate ultimum finem appetit, ipso per intellectum os-
 35 tenso.

20 Praeterea, illud est necessarium quod est idem apud omnes. Tale enim immobile est, ut patet V *Ethicorum*. Sed velle beatitudinem commune est apud omnes, ut patet per Augustinum XIII *De Trinitate* c. 8^o, dicentem "beati esse omnes volunt"; et
 40 infra: "Illa vera est et perspecta et examinata et eliquata ac certa sententia, beatos esse omnes homines velle"; et infra: "Hoc veritas clamat et natura compellit, cui summe bonus et immutabiliter beatus creator hoc indidit"; et Philosophus IX *Ethicorum* dicit quod volumus quidem omnes bona, eligimus autem nequaquam.
 45 Et multa de hac materia Augustinus dicit XIII *De Trinitate* c. 3^o et 4^o, et multis aliis. Igitur videtur quod voluntas necessario beatitudinem appetat, per intellectum apprehensam.

21 Praeterea, sicut se habet verum malum vel apparens respectu prosecutionis et desiderii, sic verum bonum et apparens
 50 respectu fugae et resiliationis. Sed malum verum vel apparens non potest a voluntate desiderari vel prosequi. Ergo verum bonum et apparens nullo modo potest respui. Tale autem est beatitudo et finis ultimus. Ergo ab illa, ostensa per intellectum, voluntas resili-
 lire non potest.

1 Haec opinio infra sub num. 65 ab ipso Petro Aureoli tribuitur Thomae Aquinatis, atque disputatur num. 65-83. 4-6 Summa III c. III *Iuntina* IV 39vb. 10-11 Cap. III *Iuntina* VI 204ra. 30-31 Cap. I *Iuntina* III 1ra. 31-32 Cap. I *Iuntina* VIII 1ra. 32-33 *De consolatione Philosophiae* III Prosa 2 PL LXIII

724. 36-37 Cap. X *Iuntina* III 39ra. 38-43 PL XLII 1022-1023 43-
 44 Cap. IV *Iuntina* III 65ra. 45-46 PL XLII 1018 seq.

2. Quod voluntas, ultimo fine clare viso in patria, de necessitate fruatur.

22 Ulterius videtur quod ultimo fine clare viso in patria, voluntas necessario actum fruitionis eliciat circa ipsum. Si enim illud
 quod minus videtur in esse, inest et id quod magis. Sed minus vi-
 5 detur quod beatitudo in universali cognita et confuse traheret immutabiliter voluntatem quam de obiecto beatifico clare et nude viso. Ergo cum illa de necessitate voluntas fruatur, ut probatum
 est, fruatur multo fortius immobiliter, Deo viso.

23 Praeterea, ab illo non potest voluntas resiliere, ubi nul-
 lam rationem invenit mali, sed rationem reperit omnis boni. Sed in
 Deo viso clare nullam mali reperit rationem, sed potius plenitudi-
 nem omnis boni. Ergo a dilectione illius resiliere non potest.
 Et confirmatur quia voluntas semper movetur ex aliquo 'cur' et ali-
 qua causa, secundum Anselmum. 15

24 Praeterea, obiectum quod implet totam capacitatem potentiae, immo excedens eam sic implet et movet ipsam quod non
 potest resiliere ab eo, maxime si movetur secundum inclinationem naturae. Sed Deus est obiectum implens totam capacitatem voluntatis et in ipsum diligendum voluntas naturaliter inclinatur. Ergo 20
 ipso praesente impossibile est quod resiliat ab eodem.

1-2 Haec opinio infra sub num. 65 ab ipso Petro Aureoli tribuitur Godefrido (De Fontibus), atque disputatur sub. num. 65-83. 14-15 *De concordia praescientiae et praedestinationis*... I 3 edit. F.S. Schmitt II 251.

5 quod minus/quod minus addidit sed delevit B. 8 voluntas/in margine addidit B.

3. Quod fruatur de necessitate fine cognito in universali et viso clare in patria probatur simul.

25 Ulterius videtur quod possit utrumque simul multipliciter monstrari. Ultimus namque finis se habet ad voluntatem et eius volitionem ut causa efficiens vel finalis. Sed finis non habet mi- 5

norem necessitatem in attrahendo ea, quae sunt ad finem, quam aliae causae in causandum secundum modum causalitatis qui competit illis; aliae autem causae approximatae ad invicem necessario causant, sicut patet de materia et forma, quibus coniunctis ad invicem necessario compositum resultat. Igitur finis approximatus, si finaliter tantum causat, necessario causabit isto modo; et si causat efficienter et finaliter, de necessitate causabit utroque modo. Quare sequitur quod voluntas actu elicitio de necessitate vult finem sibi approximatum. Nec valet si dicatur quod finis movetur finaliter, sed voluntas efficienter, et sic poterit non movere; non valet inquam quia non minus immo amplius necessaria est causalitas finis quam causalitas aliarum causarum, cum finis sit causa causarum; aliae autem causae approximatae ad invicem necessario causant, ut dictum est. Ergo finis necessario causabit actum voluntatis, movendo scilicet voluntatem ut ipsum causet effective, quia finis movet efficientem.

26 Praeterea, maior est connexio inter actus quam inter habitus, aut saltem tanta, cum ex actibus habitus acquirantur ut dicitur II *Ethicorum*. Sed duo habitus appetitus et intellectus necessario connectuntur, scilicet prudentia et virtus moralis, ut patet VI *Ethicorum*. Ergo actus appetitus et intellectus invicem connectuntur, maxime circa ultimum finem, qui maiorem necessitatem inducit quam fines secundarii, circa quos prudentia et virtutes morales habent esse quod necessario connectuntur; et sic videtur quod voluntas non possit resilire a fine ultimo, vel in universali concepto vel clare viso.

27 Praeterea, sicut se habent in mathematicis suppositiones ad intellectum sic se habent fines ad appetitum, secundum Philosophum VII *Ethicorum*. Sed suppositionibus mathematicis adhaeret necessario intellectus. Ergo et fini voluntas necessario adhaerebit. Nec obstat si dicatur quod voluntas est libera; eodem enim modo et intellectus est liber, cum sit aequalis abstractionis et aequalis ambitus, ex quo oritur libertas in potentia; per oppositum enim potentiae sensitivae, quia arctatae sunt et materiales, libertate carent.

28 Praeterea, maiorem rationem appetibilis habet finis in sua totalitate acceptus, quam quaecumque pars ipsius finis; sed esse

et vivere sunt partes ultimi finis integraliter sumpti et quae necessario appetuntur, iuxta illud Philosophi IX *Ethicorum* "esse et vivere est omnibus elegibile et amabile"; et illud III *Politicae*: "Inest aliqua boni particula ad ipsum vivere, unde multa mala sustinent homines invitati ad vivere tamquam existente in ipso quodam solatio et dulcedine naturali". Ergo totus finis qui includit esse et vivere necessario appetitur.

29 Praeterea, sicut se habet lex ad intellectum, sic iustitia ad appetitum. Sed ex hoc quod est lex aliqua naturalis, intellectus legem illam cognoscit necessario et naturaliter, ut patet de principiis practicis. Ergo ex hoc quod est aliquod iustum naturale, ut patet V *Ethicorum*, necessario appetitus actu elicitio illa volet per intellectum praesentata.

30 Praeterea, unumquodque sic appetitur sicut aptum natum est appeti, et unumquodque sic agitur sicut aptum natum est agi, dicitur II *Physicorum*. Sed ultimus finis aptus natus est appeti necessario, et appetitus aptus natus est ferri in ipsum necessario, cum habitualiter inclinetur ad ipsum de necessitate. Ergo actu elicitio necessario fertur in ipsum; alias non exiret in actum secundum quod est in potentia ad ipsum, quod est inconveniens manifestum.

31 Praeterea, quod competit omnibus individuis alicuius speciei aut omnibus speciebus eiusdem generis aliis, a quodam de quo dubitatur non est rationale illi denegari. Quod enim competit omnibus aliis, non est rationale quod non competat illi. Sed omni appetitui, divino, animali et naturali, competit ferri necessitate naturae in suum finem, ut per se patet. Ergo non debet appetitui rationali causato illud negari.

32 Praeterea, illud ad quod natura compellit est necessarium, non contingens. Sed natura compellit ad volendum actu elicitio immortalitatem et beatitudinem, quia omnes interrogati statim respondent ista se velle, ut dicit Augustinus XIII *De Trinitate* c. 8^o. Non dicerent autem nisi actum istum elicitum in se ipsis experirentur. Igitur id quod prius.

33 Praeterea, si Beatus potest non velle beatitudinem suam, aut hoc est quia habet actum contrarium, volendo scilicet et respuendo ipsum; et hoc esse non potest, quia nihil respuitur nisi

80 sub ratione veri mali vel apparentis; aut hoc est omnino negative
per cessationem voluntatis ab omni actu simpliciter, aut ab omni
actu circa beatitudinem immediate; quod patet auctoritate A u g u -
s t i n i XIII *De Trinitate* c. 8^o, qui dicit quod si beata vita ho-
minem "deserit, aut volentem deserit, aut nolentem, aut neutrum";
85 et probat quod nec volentem nec nolentem, et quod nec neutrum,
scilicet non volentem negative per cessationem ab omni actu, quia
secundum hoc beatitudo non amaretur, si voluntas esset indif-
ferens et ad volendum et respuendum eam. Patet etiam per rationem,
quia si cessat ab omni actu circa beatitudinem aut hoc est volendo
90 se non velle per actum scilicet reflexum, quod esse non potest,
quia tunc oporteret quod intellectus apprehenderet hoc quod est
non velle beatitudinem ut bonum, quia nullus aspiciens ad malum
operatur, secundum D i o n y s i u m *De divinis nominibus*. In-
tellectus autem beati non potest apprehendere hoc ut bonum, quia
95 non est bonum in se, cum sit pura negatio, nec volenti cum privet
eum volitione circa beatitudinem et obiectum eius, quod est Deus;
quae quidem volitio est magnum bonum volentis, nec intellectus
potest circa hoc decipi ut non velle beatitudinem appareat bonum;
in hoc enim decipi non potest nec viator nec comprehensor; — aut
100 cessat ab omni actu, sicut in puero qui nullum usum rationis habet;
hoc autem omnino videtur rationale, quia tunc ultimus finis tam in-
trinsecus quam extrinsecus stat pro nihilo praesens voluntati, cum
voluntatem non attrahat nec inclinet plus quam si esset omnino
absens. Et pari ratione dici potest quod praesente miseria damna-
105 torum possent suspendere actum displicentiae, cuius oppositum
experiuntur daemones et damnati. Relinquitur ergo quod finem ap-
prehensum voluntas necessario velit.

- 1-2 Haec opinio infra sub num. 84 ab ipso Petro Aureoli tribuitur Gerardo (de
Bononia), atque disputatus sub num. 84-99. 22-24 Cap. I *Iuntina* III 9vb.
24-26 Cap. XIII *ibid.* 45vb. 32-34 Cap. VIII *ibid.* 51vb. 44-45 Cap. VII
ibid. 66va. 45-48 Cap. IV *ibid.* 128va. 53-54 Cap. I *ibid.* 31vb. 56-
58 Summa III c. III *Iuntina* IV 37ra. 72-75 PL XLII 1022. 82-84 *Ibid.*
91-93 Cap. IV 19 PG III 716.

4. Quod non de necessitate fruatur, fine universaliter apprehenso.

34 Sed in oppositum videtur, quod dicit A u g u s t i n u s
I *Retractionum* capitulo 9^o: "Nihil est tam in potestate volun-

tatis quam ipsa voluntas"; ex quo colligitur quod, si actus volun-
tatis sit in potestate volentis, multo magis immediate [ipsa volun- 5
tas]. Sed in potestate voluntatis est velle finem et non velle,
mediate intellectu. Potest enim avertere intellectum a conside-
ratione finis, quo facto non volet ipsum. Ergo stante consideratio-
ne, poterit non velle ut videtur.

35 Praeterea, agens quod necessitatur ad agendum, eadem 10
necessitate removet prohibens actionem, si potest. Quod patet de
gravi quod, quia de necessitate movetur deorsum, de necessitate
removet omne prohibitivum, si vincere illud potest. Sed voluntas
non removet prohibens et impediens ipsam a voluntate finis, vide-
licet non considerationem intellectus, et tamen posset remove 15
figendo intellectum et manutenendo ipsum in consideratione finis.
Ergo cum non faciat volitionem finis, non de necessitate eliciebat.

36 Praeterea, impossibile est extremum alicuius coordinati-
onis respicere extremum alterius coordinationis sub quacumque
necessitate, quin tanta necessitate respiciat quodcumque medium 20
necessario requisitum inter illa extrema. Sed volitio finis est quasi
unum extremum coordinationis omnium volitionum aliarum. Finis
autem est aliquod extremum omnium volubilium; medium autem
inter illa duo extrema, inter voluntatem videlicet et finem, est
consideratio ipsius finis. Haec autem consideratio non est neces- 25
saria, immo potest eam suspendere voluntas. Ergo nec aspectus
aut connexio voluntatis cum fine erit de necessitate.

37 Praeterea, quidquid necessario quiescit in aliquo sibi
praesente necessario manenet illud praesens sibi si potest. Sicut
patet de gravi quod manenet se in centro, in quo de necessitate 30
quiescit; et similiter appetitus sensitivus tenet sensum in illo
sensibili, in quo necessario delectatur et quiescit, si tamen potest
illud praesens habere. Cuius ratio est quia, quod aliquid necessario
quiescat in aliquo praesente, hoc est propter convenientiam perfec-
tam; et propter eandem videtur appetere necessario sibi coniungi, 35
et ita quantum potest facere quod coniunctio praesens sit et in actu.
Sed voluntas non necessario tenet finem sibi praesentem per con-
siderationem, et tamen potest. Ergo non videtur necessario quies-
cere in fine apprehenso.

38 Praeterea, omne agens necessario agit de necessitate secundum ultimum potentiae suae, ut patet de gravi quod toto impetu inferius movetur; et ratio huius est quia, sicut in potestate eius non est actus, ita nec intentio. Sed voluntas non fertur de necessitate in finem, apprehensum secundum ultimum potentiae suae; non enim experimur nos intensissime et secundum conatum ardentissimum diligere beatitudinem apprehensam. Ergo nec dilectio finis fuit in voluntate de necessitate.

39 Praeterea, potentia libera per participationem non magis tendit libere in obiectum, quam illa quae est libera per essentiam. Sed intellectus in considerando de fine ultimo non necessitatur a voluntate. Ergo nec voluntas necessitabitur ad tendendum in obiectum.

40 Praeterea, quandocumque agentia sunt ordinata, si necessitas est in superiori, necessitas erit in omnibus aliis. Sed voluntas est superior in toto regno animae, et movet intellectum ad considerandum de fine. Ergo si ipsa necessitatur respectu finis, et intellectus necessitabitur ad considerandum de fine; cuius oppositum experimur.

1 Haec opinio infra sub num. 100 ab ipso Petro Aureoli tribuitur Duns Scoto, atque disputatur sub num. 101-107. 2-4 Porius c. XXI edit. CSEL XXXVI 104.

3 9^o/sic B; lege 21^o.

41 quod/in addidit sed delevit B.

5. Quod nec fine ultimo clare viso in patria voluntas fruatur [de necessitate].

41 Ulterius videtur quod, fine ultimo clare viso in patria, voluntas non de necessitate fruatur, etiam si fuerit elevata per habitum caritatis. Una enim potentia non habet nisi unum modum agendi; nam, si haberet plures, iam non esset una potentia. Sed, voluntas est una simplex potentia, cuius modus est agere libere et contingenter. Ergo respectu cuiuscumque aget contingenter, non de necessitate; et per consequens, respectu finis, etiam clare in patria apprehensi.

42 Praeterea, necessitas agendi non potest esse nisi per aliquid intrinsecum principio activo. Sed obiectum clare visum non est aliquid intrinsecum voluntati. Ergo non dabit voluntati, ut de necessitate feratur in ipsum.

43 Praeterea, diversa approximatio passi ad agens non causat necessitatem aliquam, sed tantummodo intensiorem actionem, sicut patet de calido respectu calefactibilis plus vel minus approximati. Sed praesentia finis clare visi non videtur esse nisi maior approximatio ad voluntatem. Cum enim apprehenderetur in universali vel obscure quasi videbatur distare, cum autem clare et in particulari videtur esse approximatum. Ergo propter istam visionem non inferetur necessitas voluntati, sed orietur gradus intensior dilectionis in ea.

44 Praeterea, si voluntas necessario vult finem sic apprehensum, aut ad istum actum volitionis movet finis, aut potentia, aut utrumque. Si finis, patet quod non est necessitas, quia Deus ad nullum actum causatum necessario movet; si potentia, patet quod etiam nulla erit necessitas, cum voluntas sit agens contingens; si utrumque, patet idem quoniam utrumque contingens est in movendo. Igitur id quod prius.

45 Praeterea, quando principium elicativum non necessario elicit, habens illud, non necessario agit. Sed eadem caritas potest esse in voluntate Deo clare viso et non viso, sicut patet de raptu Pauli. Non enim habuit aliam caritatem in raptu et aliam post raptum; caritas autem post raptum non necessario eliciebat actum. Ergo nec voluntas habens caritatem necessario diligit Deum, etiam clare visum.

46 Praeterea, habitus non immutat potentiam, nec modum agendi ipsius. Sed, voluntas agit libere et contingenter. Ergo quantumcumque elevetur per caritatem in patria, adhuc aget contingenter et libere. Non igitur de necessitate fruatur.

1 Haec opinio infra sub. num. 100 ab ipso Petro Aureoli tribuitur Duns Scoto, atque disputatur sub num. 108-113.

4 voluntas/de addidit sed delevit B.

19 ad/finem addidit sed delevit B.

C. Responsio ad quaestionem.

47 Ad quaestionem istam respondendo hoc ordine procedetur: Primo quidem hoc quod supponitur de appetitu quod fruatur et de fine ultimo quod sit subiectum tantum fruibile ostenditur; Secundo vero circa praesentem quaestionem per doctorum opiniones transcurratur; Tertio quoque respondebitur ad punctum quaestionis, iuxta id quod videtur.

1. *Articulus primus.*a. *Quomodo Deus fruitur et utitur.*

48 Circa primum ergo considerandum est quod, cum sint quatuor appetitus, videlicet naturalis qui sequitur formam naturalem, et animalis qui sequitur formam interiori sensu apprehensam, et intellectualis qui sequitur formam apprehensam per intellectum, et divinus qui sequitur summum et infinitum intellectum divinum. Primus quidem appetitus non proprie fruitur nec utitur, cum nec desideret nec delectetur; improprie tamen loco fruitionis succedit quies in termino naturali, quemadmodum grave quiescit in centro. Loco vero usus in eo succedit assumptio vel innixus ad aliquid adminiculans ad acquisitionem finis, sicut grave utitur aere ut perveniet ad centrum, quoniam sine illo non moveretur, secundum *Commentatorem III Caeli et Mundi.*

15 49 Tertius vero appetitus, intellectualis videlicet et causatus, patuit superius quomodo fruitur et utatus. Restat ergo inquirendum de secundo et ultimo appetitu. Et quidem de voluntate divina qualiter se fruatur et nullo alio extra se satis patet, cum complaceat et delectetur propter se in propria bonitate.

20 50 Sed qualiter nobis utatur, quod *Magister* tangit in littera, dicendum est quod cum usus sit referre in finem, finis potest esse causa et ratio alicuius effectus, vel ut acquirendus vel ut acquisitus. Cum igitur movet ut acquirendus, tunc refertur id quod est ad finem ut mediante quo agens attingat ipsum. Et hoc modo refert et ordinat in finem omne quo utitur voluntas causata; ordinat enim in finem, tanquam acquirendum per illud quo utitur. Cum autem finis movet iam acquisitus, tunc id quod est ad finem ordinatur ad ipsum, non tamquam id quo finis acquiratur, sed tamquam id cui finis acquiratur. Et hoc modo Deus utitur nobis et 30 creatura, non ut nobis mediantibus finem acquirat, sed ut nobis seipsum qui finis est acquirat.

51 Huic tamen videtur obviare quia hoc non videtur esse ordinatio ad finem, sed magis ordinatio finis ad communicationem, quod tamen esse non potest, tum quia communicatio est aliquid 35 causatum, cum non fiat nisi per actum intellectus et voluntatis,

quibus creatura Deo unitur; tum quia communicatio est inferius Deo, et ita Deus ordinabitur ad aliquid infra se; tum quia communicatio bonum est creaturae, et sic Deus ordinabitur ad bonum creaturae, quod irrationabile est. Igitur isto modo Deus non videtur uti.

52 Praeterea, impossibile est causalitatem causae alicuius manere, non manente suo proprio modo causandi; sed modus finis in causando est ut acquiratur ab agente per suam actionem. Igitur nisi finis acquiratur agenti, agens non aget propter finem. Sed Deus non acquirit suam bonitatem, cum iam habeat eam. Ergo nihil ordinat tamquam in finem.

53 Sed his non obstantibus, dicendum est quod finis habet duplicem habitudinem in causando; primam videlicet ut existens in agente, quantum ad esse cognitum et intellectum; et sic movet ut habitus non ut taliter acquirendus; secundam vero ut existens extra agens, et tunc movet ut acquirendus. Prima autem motio est sub habitudine, ut 'ex quo'; secunda vero sub habitudine, ut 'ad quem'; sicut patet quod balneum existens in anima movet ut 'ex quo'; existens autem extra, movet ut 'ad quem'. Habens enim balneum in intellectu non movetur ad ipsum, prout habet esse in intellectu, sed prout habet esse reale; et econverso, qui movetur ad balneum, non movetur ex ipso existente extra, sed ex ipso et ab ipso ut existit in anima, sicut *Commentator* dicit XII *Metaphysicae*. Si igitur idem esset entitas balnei realis, quod entitas in anima, tunc ut habitum et existens in anima moveret sub habitudine utraque, ita ut habens ipsum in suo intellectu et moveretur ex ipso et moveretur ad ipsum.

54 Ad propositum igitur adaptando, divina bonitas cum sit in Deo realiter et intellectualiter, voluntas divina movetur ex sua bonitate et movetur ad suam bonitatem, propter quod habet perfectissime rationem finis. Super quodcumque igitur divina voluntas transeat, super illud transit mota a sua bonitate, et super illud transit ordinando in suam bonitatem. Et sic patet quomodo utitur creatis.

55 Nec obviat quod in oppositum primo inducitur de communicatione divinae bonitatis; non enim illa finis est, sed ipsamet

bonitas ad quam ordinatur ipsa communicatio et id cui communicatur. Nec etiam obsistit inductum secundario, quia non est de ratione motionis finis quod acquiratur, nisi vere finis est perfectio
75 et inhaerens et nondum acquisitus; ut autem finis subsistens est non oportet, sicut patet quod exercitus ordinatur ad ducem, et totum universum ad Deum.

12-14 Comm. 28 Iuntina V 92ra. 20 Libri IV Sententiarum 18. 56-59 Comm. 36 Iuntina VIII 150ra.

19 propria/voluntate addidit sed deleuit B. 66 voluntas/in margine addidit B; in textu, sed deletum, bonitas.

b. *Quomodo appetitus animalis fruitur et utatur. Opinio Scoti et Thomae.*

56 De appetitu vero sensibili, qui est in animalibus et brutis, dicunt aliqui quod non fruitur proprie, quia non cognoscit ultimum
5 finem nec ordinat aliquid ad ipsum, et quia non quiescit contrarie, sed negative tantum, videlicet in aliud non ordinando pure negative, non contrarie se figendo, nec tamen reputando quod in aliud debeat non referri. Non enim potest contrarie se figere, cum ex natura sua non habeat in aliud referre; et iterum non fruitur quia
10 non applicat seipsum ad finem, quia magis agitur ab obiecto quam agat. Adhuc etiam, fruitio non est nisi in actu amicitiae, quae sola inhaeret obiecto propter se non reflexe; appetitus autem sensitivus nulli inhaeret, nisi in quantum est sui perfectio et reflexe.

57 His tamen non obstantibus, videtur quod animalia fruere-
15 tur et uterentur. Illud enim videtur uti, quod appetendo aliquid ordinat ipsum in debitum finem. Et videtur frui, dum quiescit fine debito acquisito. Sed animalia per appetitum referunt aliqua in alia, in quibus habitis delectabiliter conquiescunt, sicut patet quod ligna congregant ad nidum construendum, et nidum construunt ad ova reponenda, et ova reponunt et foveant ad pullos procreandos, quibus procreatis in illis delectabiliter complacent et quiescunt. Ergo videtur quod in eis sit uti et frui.

58 Nec valet illud dictum, quod finem ultimum non cognoscunt. Non enim omnis fruitio est in fine ultimo, sicut patet in peccatori-
25 bus. Nec etiam quod additur ea non conquiescere contrarie ad uti,

pro eo quod appetitus sensitivus non refert. Hoc siquidem non valet, quia aperte falsum est. Videmus enim animalia referre et quibusdam propter quaedam alia uti. Nec etiam quod additur animalia non applicare seipsa ad finem, sed magis trahi ab obiecto; eodem namque modo dicunt aliqui voluntatem beati trahi et agi ab obiecto, 30 et tamen ibi est vera fruitio. Nec etiam quod additur in animalibus non esse amorem amicitiae. Videtur enim quod animalia diligant amicabiliter, cum diligant bonum a se distinctum supposito, ut patet quod parentes diligunt filios et defendunt et eos nutriunt etiam cibum sibi ipsis et alia delectabilia subtrahendo; quod non esset, 35 nisi aves et animalia diligere possent propter se, et quasi amore amicitiae, particulariter tamen.

59 Dicendum est ergo quod appetitus sensitivus et per consequens bruta frui possunt et uti, particulariter tamen, non universaliter, nec in omnibus sicut voluntas rationalis. Sequitur enim 40 appetitus modum apprehensionis.

1 Duns Scotus *Ordinatio* I Dist. I Pars III (q. 4) edit. Vaticana II 118-119; Thomas Aquin. *Summa Theologica* I^a-II^ae q. 11 art. 2 edit. Leonina VI 91.

29 obiecto/et tamen ibi est vera fruitio addidit sed deleuit B.

c. *Quod ultimo fine tantummodo fruendum est recte, utendum autem omnibus aliis et quomodo sine peccato videtur aliquando quod homo fruatur.*

60 Ulterius considerandum est de secundo, quod hic supponitur, videlicet an ultimo fine fruendum sit tantum. Et siquidem ex 5 superioribus patet quod recta fruitione solus ultimus finis habet proprie et perfecte rationem fruibilis obiecti. Illa enim fruitio solum est recta, quae transit super obiectum, cui ex natura rei tantummodo competit quietare. Qui enim quietatur et fruitur in illo, cui natura non contulit vim quietativam, non dubium quod proicit 10 actum super indebitum obiectum, et per consequens agit perverse. Sed tantum ultimus finis habet ex natura sua vim quietativam respectu voluntatis. Omnia enim alia ex natura sua ordinabilia sunt in Deum, nec quietantia animum, iuxta illud Augustini I *Confessionum* capitulo 1^o: "Inquietum cor nostrum, donec quiescat 15

in te". Igitur qui fruitur aut quietatur in aliquo citra Deum non dubium quod agit perverse.

61 Ex hoc autem potest inferri quod omnis actus voluntatis transiens super creaturam, sive inhaerentem tamquam perfectionem propriam, ut sunt virtutes, scientia et honores, seu quaelibet voluptates; seu subsistentem et amore amicitiae diligendam, ut sunt angeli et homines; omnes siquidem talis actus uti esse debet, vel in potentia, vel in actu; actu quidem, si quis desideret vel delectetur in istis, actualiter in Deum delectationem et desiderium referendo; vel potentia, si non actu referat, nec tamen actu ad non referendum se figat.

62 Ex hoc secundo sequitur quod nullo actu voluntas fruitur creatura, nisi dum per intellectum illam tantum appreciatur, ut ipsam in Deum non reputet referendam et iterum nisi per voluntatem figat se ad non referendum; cuius ratio est quia, si ista duo non adsunt, illud est indifferens ad uti et ad frui. Est enim in potentia ut adsit referri; et tunc induet usus rationem; aut ut adsit existimatio de non referendo et fixio voluntatis in hoc; et tunc induit rationem fruitionis.

63 Ex hoc tertio sequitur quod peccantes mortaliter fruuntur creatura, quod quidem contingit dupliciter. Primo quidem cum obiectum in quo delectantur nullatenus est referibile in Deum, immo ex natura sua est honori divino et voluntati suae contrarium. Tunc enim qui delectatur in illo, praelegit illud honori divino, videns illud non posse referri, et nihilominus in illo eligens delectari, ut patet de incontinente. Secundo vero cum obiectum est referibile, tamen ita intense diligitur, ut eius adeptio voluntati divinae praeferatur, in tantum quod divina mandata et eius beneplacita contemnantur potius, quam huiusmodi desideratum obiectum, sicut patet in vanigloriosis, qui honoris delectationem praeferunt divino imperio; contra quod non vererentur venire propter adoptionem ipsius; et ita contingit quod omnis peccator fruitur aliqua creatura, in quo consistit humana perversitas secundum Augustinum.

64 Ex hoc ultimo sequitur quod aliquando bonum creatum diligitur propter se, ut scientia et virtutes et similia; nec actu homo refert illa in Deum; nihilominus homo non peccat nec etiam mere-

tur quia talis actus nec usus est, nec fruitio, sed in potentia utrumque. Usus non est, quia actu non refert; fruitio non est quia non existimat irreferibile nec figit se ad non referendum; et idcirco actus ille quantum est ex se nec meritorius nec demeritorius est censendus. Videtur autem talis actus fruitio, pro eo quod est delectatio et complacentia in bono creato propter se; non est autem fruitio quia addit ultra complacere propter se existimationem ex parte intellectus, et fixationem ex parte voluntatis de non referendo ad aliud, sed in illo finaliter consistendo. Unde uti et frui opponuntur contrarie penes referre et nolle referre, non contradictorie penes referre et non referre.

14-16 Num. 1 edit. CSEL XXXIII 1.
LXXXIII q. 30 PL XL 19.

47-48 De diversis quaestionibus

59 ex parte/in margine addidit B.

2. Articulus secundus.

a. *Opinio Thomae Ia-IIae, q. X, articulo primo et secundo, et Godefridi II Quodlibet, q. prima.*

65 Circa secundum autem considerandum est quod sunt actus quatuor fruitionis, quos voluntas potest elicere circa ultimum finem. Primus quidem complacere in summo bono suo sic generaliter apprehenso. Secundus vero complacere in quodam particulari ente, cui attribuitur ratio summi boni, puta in Deo, obscure tamen et aenigmatice apprehenso. Tertius quoque complacere in Deo clare et nude et beatifice apprehenso in patria. Quartus autem, qui non est proprie fruitio, scilicet desiderare sibi ipsi summum bonum universaliter apprehensum, vel Deum in particulari tamquam summum bonum sibi, vel etiam ipsum desiderare sibi ipsi in patria, quomodo desiderant Beati qui frui continue sitiunt et effectant. Loquendo igitur de complacentia in fine clare apprehenso et desiderio continuationis boni apprehensi, dicunt doctores aliqui quod voluntas necessitatur ad huiusmodi actus necessitate immutabilitatis, non necessitate coactionis. Loquendo vero de complacentia et desiderio cuiusdam entis particularis, quod tamen aestimatur summum bonum, puta de Deo. dicunt quod voluntas ad huiusmodi actus im-

20 mutabiliter non se habet. Loquendo vero de complacentia in summo bono et desiderio eius, dicunt quod intellectus non potest illud concipere, quin voluntas desideret et complaceat de necessitate. Pro hac autem opinione sunt rationes decem, superius arguendo primo et secundo loco inductae.

25 66 Quae quidem opinio in rationibus suis habet debile fundamentum, et in modo ponendi videtur implicare aliquid contradictorium, in hoc scilicet quod ait voluntatem non complacere necessario, nec desiderare Deum apprehensum et existimatum ut summum bonum, et tamen quod summum bonum necessario desideret apprehensum et complaceat de necessitate in ipsum. Unde sic procedetur
30 quod quaelibet ratio adducetur ad istud et contra propositum reducetur.

67 Prima itaque ratio est ad oppositum evidenter sic deducendo: Sicut se habet principium in speculabilibus, ita finis in
35 agibilibus. Sed sic se habet principium speculabile respectu intellectus, quod non solum universalissimum principium de quolibet esse et non esse necessitat intellectum, immo et quodlibet particulare principium per se notum, sicut patet de mathematicis. Ergo sic se habebit finis respectu voluntatis quod non solum finis universalissimus et ultimus necessitabit voluntatem, immo etiam quilibet
40 finis particularis. Honor autem et voluptas et scientia sunt per se bona appetibilia et fines quidam, ut patet I *Ethicorum*. Igitur apprehenso honore aut voluptate, voluntas necessario complacebit et desiderabit, si ratio ista sit bona. Et confirmatur quia P h i l o -
45 s o p h u s II *Physicorum* non loquitur de principiis universalissimis, nec de fine ultimo, sed de quolibet principio et de quolibet fine; de quo manifeste patet quod non movet voluntatem necessario; alias humilis non contemneret honores, nec temperatus voluptatem.

68 Praeterea, quandocumque ex una similitudine reperta inter
50 aliqua arguitur omnis similitudo, est fallacia consequentis. Sed P h i l o s o p h u s et C o m m e n t a t o r II *Physicorum* assimilant principia fini, in ordine ad conclusiones et ea quae sunt ad finem, dicendo quod quemadmodum si principia sunt conclusiones sunt, eodem modo si fines sunt et ea quae ad finem sunt, volens ex hoc concludere quod non est in eis necessitas simpliciter,
55 sed conditionata ut patet *ibidem*. Ergo concludens ex hoc neces-

sitatem simpliciter in voluntate respectu finis, facit fallaciam consequentis.

69 Secunda vero ratio est etiam ad oppositum sic deducendo: Omnis motus reducitur ad aliquid immobile; sed voluntas desiderans
60 propter se sanitatem movetur ad potionem. Igitur in ista motione oportet aliquid immobile reperiri. Sed hoc est falsum quia nec immobilitatur voluntas in desiderio sanitatis, nec in desiderio potitionis. Ergo non est verum quod omnes motus voluntatis reducantur ad aliquid in quo voluntas immobiliter quietetur. Nec valet si dica-
65 tur quod in appetitu potionis propter sanitatem non oportet poni aliquid immobile, quia appetitus sanitatis est propter felicitatem, non valet inquam quia P h i l o s o p h u s dicit I *Metaphysicae* quod scire appetitur propter se, esto etiam quod nullum bonum aliud debeat evenire. Manifestat autem hoc sensuum dilectio. Igitur in
70 isto motu praeciso, quo quis appetit aliquid propter scire, aut propter videre, ut unguentum vel aliquid aliud, non occurrit obiectum aliquod cui voluntas haereat immobiliter et de necessitate.

70 Praeterea, ideo animalia non moventur, nisi alicui immobili innitantur, quia moventur per impulsionem. Pars autem expellens
75 partem aliam necesse est ut figatur. Sed voluntas non movet se per expulsionem, sed per propriam libertatem. Ergo non indiget aliquo immobili tali.

71 Tertia quoque ratio ad oppositum sic deducitur evidenter: Voluntas non necessario vult id, sine cuius participatione aliquid
80 vult. Sed voluntas appetit intellectui notitiam veritatis, esto quod nihil aliud debeat evenire, immo praescindendo omne bonum, propter ipsum scire. Ergo voluntas non necessario vult ultimum finem, quo praeciso adhuc potest appetere aliquid propter se.

72 Praeterea, voluntas non necessario vult id, cuius parti-
85 cipatione vult quidquid vult, nisi determinetur circa ea quae vult de necessitate. Sed voluntas, quantumcumque velit aliquid participatione ultimi finis, non tamen necessitatur ad id volendum. Ergo nec de necessitate volet finem.

73 Praeterea, voluntas necessario vult id, cuius participati-
90 one vult quidquid vult, secundum eos. Sed existimans Deum summum esse bonum, existimat participatione eius volendum quidquid

vult. Ergo manente illa existimatione, de necessitate vult Deum; haec autem existimatio manet in quolibet fideli. Ergo quislibet
95 fidelis de necessitate vult Deum, cuius oppositum isti dicunt.

74 Praeterea, voluntas potest velle omne quod participat ratione ultimi finis. Sed libertas et experientia libertatis est magis ultimi finis et summi boni. Ergo praesentato summo bono, voluntas potest velle uti sua libertate in non volendo finem. Aut igitur voluntas
100 luntas utetur sua libertate non volendo finem, aut non utetur libertate et tamen volet uti. Et sic cogetur in volendo finem, quod est inconueniens manifestum.

75 Quarta quoque ratio sic potest reduci ad oppositum: Agens enim in aliud secundum, non per impressionem primi, non necessario tendit in primum per oppositum propositionis eorum. Sed voluntas potest appetere aliquos fines secundarios per se et praecise, absque impressione primi finis. Appetit enim eos, esto quod nullum bonum aliud debeat evenire, secundum Philosophum
I *Metaphysicae* et I *Ethicorum*. Ergo non necessario movetur in ultimum
110 finem.

76 Praeterea, voluntas appetit suam libertatem et usum voluntatis suae, propter impressionem ultimi finis. Sed volendo suam libertatem, suspendit actum suum circa ultimum finem. Ergo ex impressione ultimi finis est, quod voluntas actum suum possit suspendere circa ipsum.
115

77 Quinta quoque ratio ad oppositum reducitur manifeste hoc modo: Illud quod naturaliter elicitur necessario elicitur. Sed voluntas naturaliter elicit desiderium multorum, secundum eos. Ponunt enim quod vult naturaliter intellectui verum, et supposito esse et vivere et multa alia. Ergo voluntas de necessitate desiderabit esse, scire, et multa alia apprehensa, non solum ultimum finem. Hoc autem est contra experientiam, quia multi desiderant non esse, et non vivere; unde et fortis, non sperans aliam vitam, exponit se morti, ut patet III *Ethicorum*.

125 78 Sexta quoque ratio est ad oppositum in hunc modum: Illud est necessarium quod est idem apud omnes; sed omnes volunt vile emere et care vendere, ut de illo mimo recitat Augustinus, qui dixit haec omnibus existentibus in foro; et multa alia sunt,

quae homines volunt communiter, quia ad illa naturaliter inclinantur. Igitur ista et multa alia volumus de necessitate, cuius
130 oppositum experimur.

79 Septima quoque reducitur ad oppositum sic. Voluntas potest prosequi quidquid intellectus potest iudicare sub ratione boni. Sed suspensio volitionis finis ultimi potest apprehendi sub ratione boni, in quantum illa suspensione est magna libertas, et in quantum
135 ista volitio includit quandam inutilem et fatuam occupationem, occupari videlicet in continua musitatione respectu finis. Ergo non apparet cur voluntas non possit prosequi istam suspensionem.

80 Octava quoque sic reducitur: Si illud quod minus videtur in esse inest, et id quod magis. Sed minus videretur quod beatitudo, apprehensa ut summum bonum confusum et universale, traheret immutabiliter voluntatem, quam de Deo apprehenso ut summum bonum, et sic certitudinaliter existimato, quoniam particularia magis movent quam universalia in moralibus. Ergo si summum bonum universale et confusum trahit dum apprehenditur immutabiliter
145 voluntatem, multo fortius Deus, cum existimabitur summum bonum, trahet immutabiliter ad se diligendum, cuius oppositum ipsi dicunt. Nec valet si dicatur quod hoc solum tenetur per fidem; non valet inquam tum quia immo hoc tenetur per rationem quod Deus est summum bonum et id quo magis excogitari non potest, secundum Anselmum
150 *Proslogion* II capitulo; tum quia, licet teneatur per fidem et per firmam existimationem, aequae efficaciter movebit ac si teneretur per scientiam, ut Philosophus dicit VII *Ethicorum*, contra volentes evadere sermonem Socratis dicentis, quod impossibile est agere contra scientiam, ut patet *ibidem*.
155

81 Nona quoque ad oppositum duci potest per idem. Si enim ab illo resilire non potest voluntas, in quo nullam rationem mali reperit, sed potius omnis boni, ergo, cum in Deo concepto a viatore sub ratione omnis boni, viator nihil tale reperiatur stante ista existimatione non poterit resilire; et sic nullus peccare poterit, nisi prius haereticus fiat. Et ad confirmationem dicendum, quod voluntas in resiliendo habebit aliquod 'cur', experientiam videlicet propriae libertatis.

82 Ultima quoque sic reducitur: Obiectum, quod non replet totam capacitatem potentiae, non attrahit immobiliter voluntatem; 165

sed tale est Deus, quod patet dupliciter. Primo quidem quia non replet, nisi mediante actu dilectionis; dilectio vero illa non replet totam potentiam voluntatis, cum voluntas sit in potentia ad multas alias dilectiones. Secundo vero quia obiectum non faciat quod re-

170 linquit desiderium possibile respectu alterius obiecti; nec autem Deo praesente adhuc potest voluntas in pluribus aliis complacere, et forsitan in experientia propriae libertatis. Ergo non attrahit immobiliter voluntatem.

83 Sic igitur, quidquid sit de veritate conclusionis, rationes

175 tamen non multum sunt stabiles; et illud maxime est irrationale, quod summum bonum universaliter et simpliciter apprehensum trahat immobiliter voluntatem, quin stante firma existimatione, quod hoc summum bonum sit solus Deus, ipse Deus ut sic apprehensus immobiliter voluntatem. Hoc enim videtur necessarium, quia sumpta

180 maiore per intellectum et ei inhaerente voluntate, si sit firma opinio de minori absque hoc quod non sit scientia, statim conclusio est volita, ut patet VII *Ethicorum*. Unde si volo omne dulce, et lacte demonstrato, sensus sumit minorem dicendo: Hoc est dulce; statim conclusio est volita, videlicet hoc lac; pari ratione, si de

185 necessitate volo summum bonum apprehensum et existimatio certa dicit Deum esse summum bonum, statim sequitur conclusio quod Deus de necessitate est volitus, tum quia stante connexionione formalis obiecti, super quod transit potentia cum materiali obiecto, simul stansit super utramque potentiam. Si ergo summum bonum

190 est necessario volitum et illud applicat firma opinio ipsi Deo, omnino sequitur quod Deus conceptus ut summum bonum necessario appetatur, et idcirco haec opinio irrationalis valde videtur.

1-2 Thomas Aquin. *edit. Leonina* VI 83-86; Godefridus de Fontibus *edit. M. De Wulf - A. Pelzer (Les Philosophes Belges II)* 46seq. 23-24 Videsis supra num. 15-21 et 22-24. 41-42 *Cap. I luntina III 1ra.* 44-46 *Per totum, luntina IV 23seq.* 50-56 *Aristoteles II Physic. Summa III c. IV ibid. 39vb; Averroes comm. 89 ibid.* 68-70 *Cap. I luntina VIII 1ra.* 107-109 *I Metaph. ut in notul. praec.; I Ethic. c. I luntina III 1ra.* 123-124 *Cap. VI luntina III 19vb.* 126-128 *XIII De Trinitate c. III 6 PL XLII 1017.* 149-151 *Edit. F.S. Schmitt I 101.* 152-155 *Cap. II luntina III 47ra.* 179-182 *Cap. III ibid. 47vb.* 133 *boni/in quantum addidit sed delevit B.* 141 *apprehensa/litteras -hen- in margine addidit B.* 154 *volentes/voluntates B.* 164 *quod/animo addidit sed delevit B.*

b. *Modus dicendi Gerardi Quodlibet I, quaestione XX.*

84 Propterea dixerunt alii conclusionem eandem, sed propter alias rationes, videlicet propter novem tertio loco superius arguendo inductas.

85 Quae siquidem rationes non sunt maioris efficacitae supra-
dictis, immo minoris sine dubio et aeque in oppositum possunt
reduci. *Prima* equidem per hunc modum: Non minoris efficacitae et
necessitatis est finis in causando quam causae aliae, secundum
eos; sed causae aliae de necessitate inducunt suos effectus, cum
sunt approximatae et non solum primae et universales hoc faciunt,
10 immo et particulares et immediatae. Non solum enim, posita forma
et materia hominis in communi, resultat homo communis; immo posi-
ta hac forma et hac materia resultat hic homo; nec tantummodo sol,
agens universale, posita congruenti materia de necessitate inducit
vermem; immo et agens secundarium, sicut ignis, approximato com-
15 bustibili necessario ignit. Ergo per hanc rationem non solum finis
ultimus apprehensus immobiliter attrahit voluntatem, immo honor,
voluptas, et alii fines particulares immobilitabunt voluntatem, cum
fuerint apprehensi; cuius tamen oppositum temperatus et humilis
experitur. 20

86 Praeterea, causa cuius causalitas non est super executi-
one, sed super sola intentione, quantumcumque approximetur, non
determinat ad executionem; alioquin esset causa respectu executi-
onis; sed secundum *Philosophum*, VII *Metaphysicae*, finis
in ordine intentionis est principium et causa; in ordine autem ex-
25 ecutionis est posterior et effectus. Ergo quantumcumque approxi-
metur ad voluntatem, non necessitabit ad executionem volitionis;
et sic ratio non procedit.

87 Praeterea, si finis determinat agens ad actum eliciendum,
aut determinat ipsum imprimendo aliquid absolutum, aut determi-
nationem et solum respectum, aut coagendo ad effectum. Sed non
primo modo, alias finis esset efficiens, imprimendo scilicet ali-
quid absolutum; nec secundo modo, quia respectus determinationis
immediatae non potest imprimi, iuxta regulam *Philosophi V*
Physicorum. Restat igitur ut sit tertio modo una cum agente cau-
30 sando effectum, secundum proprium modum suae causalitatis.

Sicut enim aliquis effectus elicitur, sic oportet quod alicuius gratia eliciatur. Hoc autem posito, nulla necessitatio est in agente. Sed supposito quod agat, necesse est quod agat propter finem.

40 Ergo finis quantumcumque approximatus non necessitat nec determinat agentem, cum nihil causet in ipso. Nec obviat illud dictum commune: Finis movet efficientem. Non debet enim intelligi quod aliqua motio fiat a fine in agente, praeveniens actionem agentis. Non enim centrum aliquam motionem primi imprimit in lapidem, ut ex hoc lapis deorsum moveatur. Intelligi ergo debet de ipsamet motione quam agens elicit. Illa enim dirigitur in finem et fit propter finem; propter quod finis quasi obiective et per modum termini dicitur movere, in quantum ad ipsum agens agit et movet efficiens, quam quod finis moveat ipsum, nisi intelligatur

50 motio metaphorica et per modum termini. Hoc enim vocabulum finis importat.

88 Secunda vero ratio manifeste inconveniens dici potest. Maior enim est connexio secundum eos inter actus intellectus et appetitus, quam inter habitus. Sed constat quod inter habitus, qui

55 sunt finium secundorum est necessaria connexio; nam prudentia et virtutes morales connectuntur; quae tamen non sunt habitus respicientes finem ultimum, sed fines partiales sunt, ut manifeste patet VI *Ethicorum*, ubi dicitur quod "virtus rectam facit electionem". Ex quo patet quod virtus est respectu finium eligibilium propter

60 ultimum finem. Ergo inter actum intellectus et actum voluntatis est connexio necessaria in ordine ad secundarios fines; et per consequens non poterit intelligi finis alicuius virtutis, quin voluntas necessario moveatur; quod est aperte falsum. Unde haec ratio non tantum probat quod fine ultimo apprehenso immobilitetur voluntas,

65 immo magis probat de secundario fine quocumque.

89 Praeterea, secus est de universali existimatione respectu habituum, et de particulari existimatione respectu actuum voluntatis. Nullus enim habet existimationem universalem et quietam de aliquo bono agibili, nisi sit respectu eius bene habitus. Nullus

70 enim intemperatus existimat bonum continentiae, aut reputat aut appreciatur in corde, quia qualis est unusquisque, talia sibi videntur, ut dicitur III *Ethicorum*. Intemperato enim videntur voluptates

optimae, et superbo honores; et loquimur hic de 'videri' practico, non speculativo. In actibus autem particularibus non est sic; potest enim alicui etiam temperato videri bonum hoc voluptuosum vivere, 75 vel illud propter passionem, vel propter libertatem, arbitrium et arbitrarium iudicium depravantem. Sed connexio habituum est circa universalem et practicam existimationem; prudentia enim ideo colligatur cum virtutibus, quia generalis existimatio de finibus virtutum quam rectificat prudentia; et ex hac procedit ad particularia 80 et ea quae sunt ad finem, ut patet VI *Ethicorum*; haec inquam existimatio exigit voluntatem habituata conformiter circa huiusmodi fines; nam visui animae, hoc est intellectui practico, non fit huiusmodi habitus sine virtute, ut dicitur *ibidem*. Ergo nullum est argumentum, si habitus sunt connexi, et propter hoc actus intellectus et 85 voluntatis particulariter sint connexae.

90 Praeterea, duplex est sententia et iudicium practici intellectus: Una quidem quae sequitur naturam rei in iudicando, alia vero quae sequitur arbitrii libertatem. Potest enim homo per libertatem sui arbitrii sentire et arbitrari practice contra naturam 90 rei. Alias non esset homo liber in practice iudicando. Contra huiusmodi autem iudicium intellectus, voluntas non potest moveri, immo si movetur in oppositum statim concomitatur oppositum arbitrium intellectus, iuxta illud III *Ethicorum*: Ignorat quidem omnis malus quid oportet operari, et propter tale peccatum universaliter fiunt 95 mali. Non potest autem intelligi illud dictum de ignorantia sequente naturam rei, sed de arbitraria ut *ibidem* patet. Quamvis igitur prudentia et virtutes morales connexae sint, pro eo quod prudentia includit iudicium sequens naturam rei, factum arbitrium per voluntatem virtutibus habituata, non tamen propter hoc inferri potest 100 quod voluntas in actu suo connectatur cum quocumque iudicio sequente naturam rei, propter quod voluntas comitante arbitrio poterit resilire a quocumque bono.

91 Tertia quoque ratio sic reducitur: Sicut se habent suppositiones in mathematicis, sic fines in moralibus; et ipsi allegant in 105 VII *Ethicorum*. Sed Aristoteles ibi loquitur de finibus virtutum dicens manifeste, quod quemadmodum in mathematicis suppositiones, sic in actionibus cuius gratia. Et reddit rationem, quia, sicut in illis ratio seu demonstratio non est edoctiva, sic nec hoc;

110 recte enim operari circa fines oritur ex virtute naturali seu assue-
factiva; et concludit quod temperatus est talis, imtemperatus autem
contrarius. Ex quo patet quod loquitur de finibus particularibus,
non de ultimo fine. Quare si ratio istorum est bona, non solum fine
115 ultimo apprehenso voluntas de necessitate fruetur, immo et qui-
buscumque finibus apprehensis.

92 *Quarta* vero ratio sic reduci potest: Conformem rationem ap-
petibilitatis habet finis in sua totalitate acceptus, et quaecumque
pars ipsius finis, quia eadem est natura totius terrae et glebae,
III *Phy sicorum*. Sed partes finis ultimi, puta esse et vivere,
120 non necessario appetuntur, ut patet in desperantibus, qui se an-
nihilarent si possent. Ergo nec totus finis necessario appetitur.
Unde ratio eorum manifeste contra experientiam dicit esse et vi-
vere necessario appeti. Nec hoc dicit *Philosophus IX*
Ethicorum et III *Politicae*; sed intendit quod valde sunt delectabi-
125 lia, et quod ad illa homines naturaliter inclinantur.

93 *Quinta* etiam sic reducitur: Sicut se habet lex naturalis ad
intellectum, sic se habent ea quae iusta sunt naturaliter ad ap-
petitum. Sed multa sunt iusta naturaliter circa ultimum finem. Ergo
multa sunt quae actu elicito de necessitate voluntas appetit, sicut
130 intellectus actu elicito concipit legem naturalem. Hoc autem mani-
feste falsum est. Tunc enim omnia principia practica et ea quae
sequuntur non necessario vellet, cuius oppositum experimur. Et
ideo ratio ista deficit, quia voluntas est verus dominus, et non
intellectus ut patet IX *Metaphysicae*.

135 94 *Sexta* quoque eodem modo reducitur; nam quodcumque sic
agitur, sicut aptum natum est agi; non solum autem ultimus finis
est aptus natus appeti naturaliter, pro eo quod voluntas habet
naturalem inclinationem ad eum, immo et multa alia ad quae volun-
tas naturaliter inclinatur; de quorum numero est scire, cum "om-
140 nes homines natura scire desiderent". Igitur appetitur necessario
scire et multa alia, citra ultimum finem; quod esse non potest,
quia voluntas in oppositum horum habituatur, ut quilibet experitur.
Unde non est verum quod illud de necessitate velit voluntas re-
spectu cuius inclinatur, nec quod eo modo exeat in actum, quo est
145 habituata, sicut isti dicunt. Manifesta namque instantia est in
habituatis in malum, qui non necessario sed libere peccant.

95 *Septima* quoque ratio sic reduci potest quod competit omni-
bus speciebus eiusdem generis, uni non debet denegari. Sed omni
appetitui, divino, animali et naturali, competit non posse peccare.
Ergo hoc competit appetitui rationali. Conclusio est manifeste 150
falsa. Ergo cum minor sit vera, maior eorum non habuit veritatem.
Unde dicendum quod secus est de voluntate, quae est potentia ad
utrumlibet et peccabilis, et secus de omni alio appetitu.

96 *Octava* quoque sic potest reduci: Illud ad quod natura com-
pellit est necessarium. Sed natura compellit ad appetendum scire 155
et ad fovendum carnem suam, et ad multa talia, loquendo de com-
pulsione inclinationis. Ergo necessarium est hominem velle scire
et carnem suam fovere. Hoc est falsum. Igitur maior non fuit vera,
quod illud sit necessarium ad quod natura dicitur compellere in-
clinative tantum. 160

97 Praeterea, illud est necessario actu elicito in voluntatibus
hominum, quod statim respondent se velle dum interrogantur, se-
cundum istos. Sed homines illi interrogati a mimo dixerunt se velle
care vendere. Ergo illud erat in voluntate eorum necessario actu
elicito; et per consequens homines de necessitate volunt vile 165
emere et care vendere, si ratio istorum procedit.

98 *Ultima* quoque ratio sic reducitur: Si praesente ultimo
fine voluntas potest suspendere omnem actum circa ipsum, tunc
finis pro nihilo stat praesens voluntati. Sed honore praesentialiter
posito in re et ab intellectu apprehenso, voluntas potest cessare 170
ab omni actu circa honorem. Ergo honor stat pro nihilo praesens
realiter et in intellectu respectu voluntatis. Constat autem quod
non stat pro nihilo, quia eo non intellecto voluntas de necessitate
cessaret, nec posset ferri in ipsum. Et eodem modo finis ultimus
praesens in patria voluntati non stabit pro nihilo, quia potest eo 175
frui voluntas, quod non posset ipso absente.

99 Praeterea, non est simile de miseria damnatorum, quia ibi
est poena sensus. Sic igitur rationes istae satis sunt fragiles,
sicut patet.

1 Gerardus de Bononia O. Carm. 3-4 Videsis supra num. 25-33. 23-25
Summa II c. VI *Iuntina* VIII 81v. 33-35 Non inveni. 57-58 Cap. XII *Iun-*
tina III 45ra. 71-72 Cap. XI *ibid.* 22vb. 80-84 Cap. V *ibid.* 41vb-42ra.
94-96 Cap. I *ibid.* 14va. 105-106 VII *Ethicorum* c. VIII *Iuntina* III 51vb.

ut supra num. 27. 118-119 Summa III c. IV Iuntina IV 49vb-50ra. 123-124 Ut supra num. 28, scilicet IX *Ethic.* c. VII Iuntina III 66va; III *Politicae* c. IV *ibid.* 128va. 133-134 Cfr summa II c. V Iuntina VIII 115ra. 139-140 Aristoteles I *Metaphysicae* c. I Iuntina VIII 1ra.
52 manifeste/ad manifestum B. 105 et/sicut addidit B. 119 III
Physicorum/in margine addidit B.

c. *Opinio Scoti Libro primo, D. prima, q. quarta.*

- 100 Et ideo dixerunt alii quod respectu ultimi finis in universali apprehensi, quamvis voluntas naturaliter inclinetur, ita quod ipsum velit semper habitualiter, non tamen semper actu elicitio
5 ipsum vult; sed potest suspendere actum volitionis, non quod possit ipsum odire vel habere actum contrarium, sed quia potest resilire ne odiat, aut velit ipsum aliquo actu positivo. De fine vero clare viso in patria idem dicunt. Pro qua opinione sunt rationes tredecim superius arguendo in oppositum primo et secundo loco inductae.
- 10 101 Quidquid autem sit de veritate conclusionis, rationes tamen non apparent multum efficaces. *Prima* namque ratio sic potest reduci: Nihil est tam in potestate voluntatis quam ipsa voluntas. Sed in potestate voluntatis est actus intellectus, et mediante eo
15 ratione finis. Ergo stante consideratione finis, potest velle vel non velle finem. Haec est fallacia figurae dictionis, mutans quid in quale, substantiam in modum. Non enim sequitur: Voluntas habet in potestate sua actum; ergo immediate habet; nec sequitur: "Nihil tam in potestate, quam ipsa voluntas"; ergo nihil immediatius. Unde
20 quia voluntas movet se mediante arbitrio, ut prima motio passiva sit in arbitrio ab ipsa voluntate, secunda vero motio passiva sit in voluntate; sicut nauta movet se mediante navi, idcirco non debet inferri quod immediate possit; sicut nec nauta immediate se potest movere per navem. Sed de hoc alias melius apparebit.
- 25 102 *Secunda* vero sic reducitur: Agens quod necessitatur ad agendum eadem necessitate removet prohibens, si potest. Sed appetitus bruti potest figere imaginationem in illo quod appetit. Ergo cum de necessitate appetat et possit figere imaginationem in appetibili, et per consequens remove prohibens, quod est non imaginari; sequitur quod semper imaginabitur appetibile unum et
30

idem. Hoc autem est falsum. Ergo cum minor sit vera, quoad utramque partem, scilicet quod et appetitus bruti de necessitate movetur ad appetibile et quod appetitus eius figit imaginationem in appetibili, sicut patet de canibus, qui ex appetitu imaginantur lepores; unde si appetitus figit oculos et sensus exteriores in appetibili, non apparet cur etiam imaginationem non figat; restat ut
35 maior non sit vera.

103 *Tertia* quoque eodem modo deficit, ut videtur. Appetitus enim bruti qui est unum extremum, et appetibile quod est aliud extremum necessario se respiciunt; et tamen imaginatio, quae est
40 media, non necessario et semper manutinetur in consideratione appetibilis, ut dictum fuit statim.

104 *Quarta* quoque pari ratione infringitur in bruto, et item illud, quod necessario quiescit in aliquo, non necessario manutinet illud, si ab aliquibus abducatur. Sed multa sunt quae possunt
45 avertere intellectum a consideratione ultimi finis, videlicet conexio specierum, ex qua oritur quod intellectus transit subito discursive ab uno in aliud. Adhuc etiam occupationes sensuum, de quibus constat quod intellectum avertere possunt; et adhuc fames et sitis et indigentiae corporales, de quibus etiam idem constat.
50 Adhuc etiam appetitus prosequendi finem realiter et ea quae sunt ad finem, qui quidem oritur ex desiderio finis. Ergo non est inconveniens quod voluntas non manuteneat perpetuo volitionem finis in se, aut considerationem eius in intellectu.

105 *Quinta* vero sic potest reduci: Agens necessario agit de necessitate, secundum ultimum potentiae suae. Sed intellectus a phantasmate movetur de necessitate. Ergo intellectus secundum ultimum potentiae suae et intentissime intelliget quodcumque obiectum in phantasmate lucens. Hoc autem est falsum; igitur et maior. Potest enim esse quod voluntas, aliquando magis aliquando
60 minus, in ultimo fine complaceat, vel propter confusorem considerationem, vel propter maiorem occupationem erga sensibilia, vel propter multas alias causas.

106 *Sexta* vero sic: Potentia libera per participationem non magis tendit libere in obiectum, quam illa quae est libera per essentiam. Sed, intellectus potest suspendi a consideratione finis.
65

Igitur et voluntas a volendo finem. Argumentum illud hucusque bene concludit. Sed ulterius 'Ergo aequae immediate' non sequitur, quia mutatur modus de magis in modum immediationis.

70 107 *Septima* quoque sic reducitur; Quodcumque agentia sunt ordinata si necessitas est in superiori, necessitas est in omnibus aliis. sed dato quod voluntas necessario velit finem apprehensum in communi, non propter hoc habet necessitatem simpliciter quin possit libere imperare intellectui, ut consideret de his per quae
75 ille finis ultimus attingatur et potentiae executivae ut exequatur; et possunt talia esse multa. Ergo adhuc remanebit libera voluntas et tota coordinatio eorum, quae sunt ad finem.

108 *Octava* quoque sic reducitur: Unius potentiae est unus
80 modus agendi, puta immobiliter vel contingenter. Sed divina voluntas una est. Ergo si movetur respectu creaturarum contingenter, et respectu suae bonitatis contingenter movebitur; vel si necessario et immutabiliter respectu sui, eodem modo respectu creaturarum; cuius oppositum ipsi dicunt. Natura etiam est eadem potentia, et tamen movetur contingenter et raro et movetur necessario et immutabiliter, sicut patet quod senes aliquando non canescunt. Oritur
85 autem ista deversitas ex varietate materiae. Ergo et secundum varietatem obiectorum non est inconveniens quod voluntas moveatur, quandoque necessario, quandoque contingenter. Unde contingenter et necessitas non variant potentiam, ut videtur, quia
90 non insunt sibi absolute, sed in ordine ad obiecta; sicut patet de intellectu, qui respectu principiorum immutabiliter verum dicit, respectu autem conclusionum potest verum et falsum dicere contingenter.

109 *Nona* vero ratio ex eodem deficere potest. Necessitas enim
95 agendi non inest activo principio per aliquid intrinsecum tantum, sed consurgit ex comparatione potentiae ad obiectum et ex concursu amborum.

110 *Decima* etiam; diversa approximatio non facit varietatem, nisi secundum magis et minus, secundum eos. Sed ultimus finis,
100 clare visus in patria et cognitus confuse in via, non differt nisi secundum diversam approximationem, secundum eosdem. Igitur dilectio viae et dilectio patriae non differunt, nisi secundum magis

et minus, cuius oppositum ipsi dicunt; sequeretur enim quod si una esset beatifica et reliqua.

111 *Undecima* vero per idem reducitur sicut aliquae praece- 105 dentes. Necessitas enim ibi oritur, non ex fine tantum, nec ex potentia tantum, sed ex potentia respectu talis obiecti.

112 *Duodecima* quoque sic reducitur: Stante eodem principio elicitivo, stat eadem necessitas, secundum eos; et secundum veritatem, si propositio vera est, stat idem actus et idem modus ipsius. 110 Sed eadem est caritas viae et patriae. Ergo si caritas patriae est elicitivum principium actus beatifici, eodem modo erit in via. Non sequitur, ut apparet. Consimiliter ergo, Paulo existente in raptu, voluntas caritate elevata Deum poterat immutabiliter diligere; et tamen ante raptum vel post, contingenter per eundem habitum 115 caritatis.

113 *Ultima* quoque sic reducitur: Habitus non immutat potentiam nec modum agendi. Sed per hoc quod movetur immutabiliter, non tollitur nec immutatur libertas voluntatis, quae est proprius
120 modus voluntatis, sicut patet in Deo, qui liberrime et tamen immutabiliter fertur in suam bonitatem. Igitur potest poni habitus vel obiectum in voluntate, a quibus habebit immutabilitatem.

1 *Ordinatio* I Dist. I Pars 2 q. 2 edit. Vaticana II 96. 8-9 Videsis supra 34-46. 18-19 Augustinus, *Retractiones* I 8 edit CSEL XXXVI 40. 42 Cfr sub num. 102. 114 II Cor. XII 2, 4.
56 intellectus/in margine addidit B. 84 et (altera vice)/addidit B.

3. *Articulus tertius. In quo respondetur ad quaestionem iuxta id quod videtur.*

Nunc tertio dicendum quid videtur, sub tribus propositionibus.

a. [Quod formalis ratio libertatis consistit in actu complacentiae et delectationis]. 5

114 Prima quidem quod formalis ratio libertatis consistit in potentia ex actu complacentiae et delectationis. Actus enim complacentiae est formaliter liber; potentia autem, quae quidquid agit agit ex complacentia, dicitur libera; nec aliquid aliud exigitur ad rationem libertatis. Et quod hoc sit verum, potest multipliciter 10

declarari. Liberum enim dicitur quod est gratia sui, ut patet I *Metaphysicae*, per oppositum ad servum, qui non est sui gratia sed domini, ut dicitur I *Politicae*. Sed solus actus complacentiae est gratia sui; quod patet, quia ultimo reducitur pro causa omnis actus.

15 Interrogatus enim unusquisque de quovis opere cur sic agit, respondet quia placet mihi. Ulterius autem interrogatus quare placet, respondebit quia placet, ac si sit per se notum quod placere est gratia sui, nec oportet quod habeat aliquam causam. Nullus autem alius actus videtur esse gratia sui. Ergo solus actus complacentiae est liber formaliter, ut videtur.

115 Praeterea, iste actus est formaliter liber, a quo denominantur et redduntur liberi omnes actus, et secundum eius intentionem actus intenditur in libertate. Sed omnis actus liber est, qui fit ex complacentia; et quanto ex maiori complacentia, tanto liberius fit, ut patet per se. Ergo complacentia est formaliter libertas.

116 Praeterea, liberum et violentum videtur opponi. Illud igitur est formaliter liberum, cuius oppositum est formaliter violentum. Sed ea quae fiunt displicenter dicuntur fieri violententer. Cum enim aliquis ducitur ad opus aliquod cum displicentia, dicitur 30 trahi violententer, nec ire libere. Ergo evidenter apparet quod actus complacentiae est formaliter liber.

117 Praeterea, voluntarium et liberum videntur esse idem. Sed secundum Philosophum III *Ethicorum* tristitia sunt involuntaria, delectabilia voluntaria. Unde delectabile et voluntarium accipit ibi pro uno et eodem. Ergo delectabile et complacens videtur liberum esse.

118 Praeterea, in illo consistit formaliter ratio libertatis, quo solo posito et omni alio dempto, manet libertas, et quo dempto et omni alio posito, removetur libertas. Sed ita est de complacentia. 40 Remota enim contingentia potentiae circa actum, utpote quia non possit actum suspendere, adhuc remanet libertas si adsit complacentia, ut patet quod Deus liberrime diligit se, quia complacenter quamvis immutabiliter; et Spiritus Sanctus emanat liberrime quia per modum complacentiae, quamvis emanet necessitate naturae. Posita autem contingentia et remota complacentia, nullo 45 modo est libertas, ut patet in agentibus naturalibus, in quibus est

contingentia absque libertate. Igitur ratio libertatis consistit in complacentia.

119 Praeterea, ratio libertatis est perfectio simpliciter. Igitur non consistit eius ratio in aliquo quod formaliter imperfectionem 50 includat. Sed ratio contingentiae imperfectio est, cum opponatur immutabilitati, quae est perfectio simpliciter. Igitur in ea libertas non consistit, sed potius in complacentia, quae perfectionem simpliciter importat.

120 Nec obstat si dicatur, quod secundum hoc animalia, quae 55 agunt ex complacentia, habebunt libertatem, et appetitus sensitivus erit formaliter liber. Nec etiam si dicatur, quod intellectus erit liber, cum complaceat et delectetur in cognitione veritatis. Nec si dicatur, quod secundum hoc, non omnes actus voluntatis erunt liberi, puta tristitia vel dolor, cum nullus complacenter do- 60 leat vel tristetur. Primum quidem non obviat, quia sine dubio verum est, quod pueri et animalia voluntarium et spontaneum participant, et per consequens libertatem, sicut expresse dicit Philosophus III *Ethicorum*. Electioni autem et dominativo actus non participant, pro eo quod non habent actum in potestate sua. Non 65 est autem idem liberum et dominativum actus. Alioquin Pater et Filius non spirarent libere, cum non possint dominative suspendere actum spirationis; nec etiam Deus libere se amaret. Unde ex hac deceptione oritur difficultas, quae hodie habetur circa formalem rationem libertatis, quia putant homines quod idem sit esse 70 liberum et habere dominium sui actus. Concedendum est igitur quod appetitus sensitivus liber est, particulariter tamen, cum sit circa particularia et pauca. Voluntas autem habet universaliter et simpliciter libertatem. Secundum quoque non obviat, quia intellectus non complacet in vero, sed appetitus et voluntas. Delectatio enim 75 succedit desiderio, ut patet II *Ethicorum*. Cum igitur intellectus non desiderat veritatem, sed voluntas eam sibi desiderat, sequitur quod nec etiam adepta veritate intellectus complaceat, sed tantummodo voluntas. Tertium etiam non procedit, quoniam omnes actus voluntatis procedunt ex aliqua complacentia et amore. Complacentia vero primus actus est et gratia sui; ex ea autem oritur desiderium habendi rem, qua complaceat; et si res evenierit, ex amore 80

oritur delectatio. Similiter ex amore oritur odium omnium eorum,
 quae repugnant, et ex amore oritur fuga contrarii, et ex amore oritur
 85 tristitia, in quantum unusquisque tristatur in praesentia illius, in
 cuius opposito complacet et cuius contrarium amat. Et hanc de-
 ductionem ponit A u g u s t i n u s XIV *De civitate Dei*, ubi con-
 cludit quod mala sunt omnia si amor malus est, bona autem si amor
 sit bonus. Sic igitur patet quod omnes actus voluntatis oriuntur
 90 ex complacentia, et illi quidem qui consonant dicuntur spontanei
 et liberi; qui vero repugnant, involuntarii et coacti. Et per eandem
 rationem omnes actus aliarum potentiarum, qui fiunt ex complacen-
 tia voluntatis, libere fiunt.

121 Restat itaque ex praedictis quod prima ratio libertatis est
 95 complacentia; et quidquid denominatur liberum, ex hoc est quod
 transit complacentia super ipsum.

Et sic patet propositio prima.

11-12 Cap. III *Iuntina* VIII 1vb. 12-13 Cap. III *Iuntina* III 117ra. 33-
 34 Cap. I *ibid.* 15va. 62-64 *Ibid.* 15vb. 75-76 Cap. V *ibid.* 11vb. 87-
 89 Cap. VII edit. CSEL XL pars 2 13.

4-5 *Ex tabellis addidi.* 42 quod/in *marginem addidit B.* 88 autem/si amor
addidit sed delevit B; sic bis habebat si amor.

b. *Quod voluntas immutabiliter fruitur et complacet in Deo
 clare viso.*

122 Secunda propositio est quod voluntas immutabiliter elicit
 actum complacentiae circa Deum in patria clare visum. Constat
 5 enim quod voluntas beati confirmata est, ut peccare non possit,
 nec omittendo Dei dilectionem, nec committendo aliquid opposi-
 tum dilectioni divinae. Haec ergo confirmatio aut oritur ex condi-
 tione voluntatis in ordine ad tale obiectum; aut oritur ex habitu
 voluntatem ligante ad ipsum; aut oritur ex divina omnipotentia
 10 conservante et manutenente in voluntate dilectionis actum, ne
 avertere voluntas se possit nec subtrahere ab illo actu. Sed hoc
 tertium dari non potest. Aut enim Deus manutenebit voluntate ma-
 nente sub potestate resiliendi ab actu et displicendi; et si sic,
 manifeste apparet quod voluntas violentabitur; et cum hoc, re-
 15 manet in eadem potentia peccandi, cum possit conari in opposi-

tum manutenentiae divinae; aut non relinquetur ei potentia co-
 nandi in oppositum, quia Deus non influet ad istum conatum, et tunc
 sequitur quod naturalia voluntatis imperficiuntur in patria; et adhuc
 non minus habet rationem coactionis manutenentia dilectionis in
 voluntate contra naturalem conditionem ipsius, quae est posse ad 20
 utrumlibet, secundum illos qui hoc dicunt, quam impressio dilec-
 tionis de novo contra eius naturam. Ergo relinquitur quod confir-
 matio ista proveniat vel ex conditione potentiae in ordine ad obiec-
 tum, vel ex conditione habitus quodammodo alligantis ad ipsum.
 Non potest autem poni quod sit ex conditione habitus, quia caritas 25
 forte in eodem gradu potest esse in viatore et comprehensore, vel
 forsitan in maiori, sicut Virgo Maria dum erat in via habebat alti-
 orem habitum caritatis quam multi qui hodie sunt in patria. Unde
 et Paulus habuit aequalem habitum caritatis post raptum, cum habi-
 tu quam habebat in raptu. Cum igitur in via non sit confirmatio 30
 voluntatis, apparet quod non est ex habitu. Relinquitur ergo quod
 sit ex praesentia obiecti.

123 Praeterea, omnis motiva ratio, quae in aliquo gradu exis-
 tens, inducit difficultatem resiliendi a seipsa in voluntate, in
 gradu infinito existens inducit resiliendi impossibilitatem. Con- 35
 stat enim quod voluntas, quanto cum maiori difficultate movetur,
 tanto movetur cum maiori conatu. Conatus autem voluntatis finitus
 est. Restat igitur ut, si ab aliqua ratione finita voluntas resilire
 non possit sine difficultate et conatu ad oppositum, quod tantum
 intendatur conatus quantum intendetur illa ratio; et per consequens, 40
 si fiat infinita, necesse est quod voluntas debens resilire ab ea,
 resiliat cum infinito conatu; immo nec etiam cum infinito conatu
 posset resilire, quia virtus resiliens habet excedere difficultatem
 et vincere eam. Infinitus autem conatus non excederet infinitam
 difficultatem; et per consequens, non vinceret eam, quia infinito 45
 non est maius. Sed ratio bonitatis, in gradu finito existens, in-
 ducit in voluntate difficultatem a se resiliendi. Hoc patet tum quia
 dicit A u g u s t i n u s quod non est in potestate nostra quibus
 visis tangamur, hoc est quibus bonis propositis delectemur; tum
 quia P h i l o s o p h u s dicit II *Ethicorum* quod "difficile est 50
 pugnare ad delectationem", et in fine eiusdem II dicit, quod maxime

observanda est delectatio, hoc est cavenda; non enim concipimus eam, aut iudicamus non accipientes quod dicit propter difficultatem, non quia sit impossibile eam non accipere, sed quia difficile; tum quia hoc
 55 quilibet experitur quod difficile est sibi resistere tentationibus delectabilium; difficile est etiam matri resilire ab amore filii, et cuilibet amico ab amore amici; tum quia *Philosophus* III *Ethicorum* reprehendit eos, qui dixerunt bona et delectabilia violenta esse, quia cogunt exterius existentia voluntatem, et respondet *Aristoteles*
 60 quod talis coactio non est violenta; tunc enim semper violentaretur voluntas, quia horum gratia omnes omnia operantur. Si igitur aliqua ratio bonitatis, finita tamen, inducit in voluntate aliquem gradum difficultatis ita ut non possit voluntas sine difficultate aliqua resilire, manifeste concluditur quod ab infinita bonitate existente in Deo et
 65 praesentata voluntati sufficienter ipsa resilire non possit.

124 Praeterea, pondus aptum natum violentare voluntatem respectu actus sibi oppositi, est aptum natum respectu illius immobilitare; verbi gratia, pondus plumbi inducit violentiam portatori; in tantum posset augeri pondus, quod immobilitaret ipsum.
 70 Sed amor et complacentia, secundum *Augustinum*, pondus voluntatis; hoc est enim amor in spiritibus quod pondus in corporibus. Hoc autem pondus habet violentare voluntatem respectu sui oppositi; violentia namque in voluntate est tristitia et displicentia. Illa enim quae fiunt cum displicentia fiunt violententer.
 75 Constat autem quod amor respectu sui oppositi displicentiam inducit. Nullus enim vere amans venit contra amorem absque displicentia. Ergo amor est aptus natus immobilitare voluntatem. Sed, nullus amor est adeo aptus ad hoc, ut amor et complacentia beatifica, cum ille sit nobilior et excedens omnem alium amorem.
 80 Igitur voluntas existens sub illo immobilitatur, ne possit venire contra eum. Veniret autem vel odiendo Deum, vel amorem dimittendo. Igitur voluntas non potest resilire, quin complaceat sibi in Deo. Et confirmatur haec ratio quia secundum *Commentatorem* II *Caeli et Mundi* commento [...] hoc est necessitas voluntatis substantiarum abstractarum, scilicet boni viri.

125 Praeterea, omne quod aptum natum est simpliciter quiescere, aptum natum est immobilitari, quia si non est aptum immobi-

litari, per consequens nec quiescere, cum non possit quiescere, quod non est in potentia ad motum; talis enim potentia includit appetitum et inclinationem ad motum, et per consequens illud non
 90 quiescit. Sed voluntas nostra apta nata est quiescere in solo Deo, et in nullo alio citra ipsum, sicut *Augustinus* dicit I *Confessionum* capitulo 1^o. Ergo voluntas ex natura sua habet immobilitari in Deo.

126 Praeterea, intensior est actus complacentiae et amoris in voluntate, quam quicumque alius actus. Probatum est enim supra quod omnes actus ipsius habent ortum a complacentia et amore. Sed aliqui actus sunt possibiles in voluntate immobilitantes eam, ut patet de tristitia et displicentia, quae in tantum occupabit animos damnatorum, ut non possint non displicere et non tristari. Et
 100 patet per experientiam quod aliquando non est possibile homini aliquo malo sibi eveniente cordialiter non tristari. Ergo multo fortius est possibilis aliquis amor sic immobilitans voluntatem, ut sit impossibile non amare. Et confirmatur quia etiam sic est in statu viae pro aliquo tempore, quod in tantum amore complacentiae
 105 animus occupatur aliquando, ut non possit non amare, donec deferbeat paulatim tempore succedente.

127 Praeterea, maius delectabile est verum infinitum quocumque vero finito. Sed speculatio veritatis, maxime de novo occurrens, sic allicit voluntatem, ut non possit in apprehensione illius
 110 veritatis non complacere, sicut experientia docet. Et *Philosophus* dicit VII *Ethicorum* quod delectationes intellectuales puriores sunt et intensiores delectationibus corporalibus. Ergo summo vero praesente in patria, impossibile est quod voluntas non delectetur et complaceat in ea, complacentia beatifica, de
 115 qua dicit *Augustinus* quod "beatitudo nihil aliud est quam gaudium de veritate".

128 Praeterea, voluntas non potest a bono aliquo resilire, nisi ratione alicuius in quo amplius complaceat. Dictum est enim superius quod complacentia principium est omnium actuum voluntatis, a qua omnes alii ortum trahunt. Sed constat quod ex nulla
 120 complacentia potest actum dilectionis suspendere respectu Dei; non enim ut experiatur propriam libertatem, tum quia illa experientia habet rationem summi tristabilis, cum opponatur summae delec-

125 tationi, qua voluntas complacet in Deo; tum quia videtur consis-
tere tristitia damnatorum in carentia videlicet visionis divinae et
delectationis in ipso. Constat autem quod voluntas immobiliter
respuit id; in quo formaliter consistit miseria damnatorum. Unde
cum suspensio divini amoris summum tristabilis sit et summum
130 miserium quid, immo finalis infelicitas in carentia huius consistat,
impossibile est voluntatem non respuere huiusmodi suspensio-
nem. Ergo resilire non potest a divino amore.

129 Praeterea, aut voluntati tribuitur hoc privilegium, quod
viso Deo possit suspendere dilectionis actum, aut hoc inquam
135 sibi tribuitur ut salvetur eius libertas; aut ut salvetur excellentia
eius et dignitas, aut ut salvetur eius naturalis proprietas, quae
est contingentia; aut ut salvetur eius defectus, qui est peccabili-
tas. Sed non debet attribui ut salvetur ipsius libertas, quoniam
libertas stat cum immobili complacentia, ut superius dictum est;
140 immo immobilitas complacentiae arguit summam libertatem. Quod
patet quia ponit summam complacentiam, quae est formaliter liber-
tas; et iterum quia in summo excludit violentiam et violenter mo-
veri; tunc enim summe movetur gratis, et cum semotione omnis
displacentiae cuiuscumque. Nec debet sibi attribui, ut salvetur
145 dignitas maior aut excellentia, quia immobilitas maiorem excel-
lentiam et perfectionem dicit quam contingentia. Necessitas enim
et contingentia sic opponuntur, quod necessitas est perfectio
simpliciter, contingentia vero non. Nec etiam debet attribui ut
salvetur naturalis proprietas, quae est agere contingenter; nulli
150 enim potentiae inest necessitas aut contingentia absolute, sed in
ordine ad diversa obiecta et materias super quas transit, sicut
C o m m e n t a t o r expresse dicit II *Physicorum* commento 48^o,
concludens quod "contingens non invenitur aequaliter in potentiis
agentibus per se"; et ideo voluntas respectu aliquorum obiectorum
155 poterit agere contingenter; respectu autem divinae bonitatis non,
propter rationes superius inductas. Nec etiam potest attribui, ut
salvetur defectus eius qui est peccabilitas, tum quia potentia
peccandi excluditur a beatis secundum Sanctos; tum quia, si pec-
cabilitas et mobilitas ac vertibilitas in malum est inseparabilis a
160 voluntate intellectuali causata, non est capax status beatifici et

felicis, cum de ratione beatifici status sit immobilitatio et per-
petuari in eo, sicut expresse dicit P h i l o s o p h u s I *Ethi-*
corum. Ergo non apparet cur voluntati attribuaturs hoc posse, scili-
cet resilire a fine ultimo in patria clare viso.

29-30 II Cor. XII 2, 4. 48-49 Enarrationes super Psalmos, Ps. 32, Sermo 2
PL XXXVI 291. 50-51 Cap. III Iuntina III 11ra. 51-52 Ibid. c. IX 14vb.
57-61 Cap. I ibid. 15rb-va. 70-71 De civitate Dei IX c. 28 edit.
CSEL XL Pars 1 554-555. 83-85 Non inveni. 91-93 Num. 1
edit. CSEL XXXIII 1. 111-113 Cap. XIII Iuntina III 53vb. 116-
117 Confessiones X c. 23 n. 34 edit. CSEL XXXIII 253. 152-154 Iuntina IV
32ra. 161-163 Cap. X Iuntina VIII 7va.
5 ut/potest addidit sed delevit B. 20 naturalem/dilectionem addidit sed
delevit B. 68-69 portatori/portitori B. 69 pondus/in margine addidit B.
92 in/in margine addidit B. 158 si/in margine addidit B.

c. Quod non necessario voluntas fruitur, fine ultimo apprehen-
senso confuse in via.

130 Tertia quoque propositio est quod fine ultimo qualiter-
cumque citra intuitivam notitiam apprehenso, voluntas non de ne-
cessitate elicit actum complacentiae aut desiderii respectu illius. 5
Illud namque non necessario voluntas desiderat, aut nec in illo
necessario delectatur, in quo defectum boni reperit et rationem
alicuius mali. Lata enim super illam rationem mali aut defectum
boni, apparet quod non necessario complacebit. Sed bonum summum
apprehensum in universali habet ut sit apprehensum defectum boni 10
et rationem alicuius mali. Universale enim est in potentia; et id-
circo in universali apprehenso, concipitur sub quadam imperfecti-
one. Unde in esse cognito est imperfectum, puta potentiale, ob-
scurum, non satians, non quietans; quae omnia includunt rationem
alicuius defectus et mali. Ergo non apparet qualiter sic conceptum 15
necessitet voluntatem ad complacendum in se et delectabiliter
quiescendum. Nec valet si dicatur quod saltem necessitabit ad
desiderium. Nullum namque desiderium habet necessitatem, nisi
quatenus complacentia ex qua oritur necessaria sit. Cum igitur
voluntas non necessario complaceat in fine sic apprehenso, nec 20
necessario illum desiderabit; alioquin necessarium dependeret a
contingenti, quod est impossibile. Nec etiam obviat si dicatur
quod in summo bono sic apprehenso non invenitur aliquis defectus,

sed in modo apprehendendi. Hoc quidem non obviat, quia modus
25 apprehendendi summe facit ad hoc quod obiectum moveat, cum
bonum apprehensum moveat voluntatem, ut patet III *Ethicorum*; et
in VI etiam dicitur quod mens practica movet. Unde clare apprehensum
aliter movebit, quam confuse et diminute. Hoc enim modo
non quietat ut patet.

30 131 Praeterea, sub illo actu non est voluntas de necessitate,
qui potest impedire et causaliter et deliberate. Sed stante apprehensione
summi boni, possibile est ut homo illud non appetat, nec voluntas sit
sub actu desiderii; possibile inquam est ex inadvertentia et inattentione,
ut patet quod disputantes de summo
35 bono vel studentes circa materiam finis ultimi non sunt in continuo
appetitu. Alias sequeretur quod legens I *Ethicorum* et X
esset in continuo appetere ultimi finis; quod nullus experitur.
Possibile etiam est ex deliberatione, quia potest concipi desiderium
finis sub ratione impedimenti maioris boni, puta inquisitionis
40 veritatis circa ultimum finem, quia affectati non bene vident
verum. Multis etiam aliis causis potest se homo figere et munire,
nedum concipiet ultimum finem [nec] illum desideret, puta quia
illud desiderium est vanum et inutile, et multa alia. Ergo voluntas
non necessario fruitur aut desiderat finem sic apprehensum.
45

132 Praeterea, quamvis haec disputatio sit de una experientia,
— quilibet enim rediens ad seipsum deberet videre quid experitur,
— nihilominus conanda est declarari. Nullus enim actus de
necessitate existens in intellectu vel voluntate videtur latere nos
50 posse. Unde quilibet experitur, quando dubitative aliquid cognoscit
vel quando certitudinaliter; et pari modo debet experiri quando
complaceat immobiliter, et quando mobiliter et contingenter. Nunc
autem, interrogatus quilibet laicus, facta sibi mentione de summo
bono, utrum vellet ipsum habere, respondet non dubium quod sic;
55 et si ultra interrogaretur an posset non velle, respondet utique
quod si vellet non curaret, immo plus vellet pro statim aliquid
aliud. Ergo patet quod non illud volebat de necessitate.

133 Praeterea, nullus actus voluntatis est necessarius, nisi actus
reflexus super illum sit necessarius, dum voluntas reflectitur
60 super eum; verbi gratia, voluntas non complacet necessario in

aliquo, nisi placeat sibi complacentia dum reflectitur super eum;
alioquin si necessario non complacet in complacentia, potest sibi
displicentia complacere; et sic complacere tristabiliter et violent
ter et contra spontem; quod est impossibile, cum omnis motus
complacentiae spontaneus sit. Sed clarum est quod actus volun
65 tatis, quo reflectitur super complacentiam finis ultimi, non est
necessarius, immo multi volunt quod illa complacentia sit neces
saria, ut illi qui istam partem tenent; et item, complacentia in
finem non habet unde necessario complacere, cum non sit magnum
bonum hominem in tali complacentia occupari. Ergo nec compla
70 centia ultimi finis est immobiliter in voluntate.

134 Praeterea, in nullo immobilitatur voluntas, nisi quietetur
in illo. Sed in complacentia ultimi finis sic apprehensi, voluntas
non experitur quietem et sui quietationem. Igitur nec ibi immobili
tabitur. Videtur enim repugnantia quod complacere immobiliter in
75 aliquo, et tamen non quietetur, — seu potius, non quiescat, — in eo.

135 Praeterea, nullus amor concupiscentiae est in voluntate
necessario, nisi amor amicitiae sit necessarius, ex quo concupi
scentia illa procedit; alias effectus esset necessarius et causa
contingens, quod est impossibile. Sed complacentia in ultimo fine
80 sic universaliter apprehenso non est nisi amor concupiscentiae;
nec etiam desiderare eum est nisi concupiscere. Non enim concipitur
ut bonum quoddam subsistens, et unum quod possit amore amicitiae
complacere; sed potius tamquam quaedam perfectio et
bonum appetentis. Nunc autem, omnis talis concupiscentia ortum
85 habet ex amore sui ipsius. Sed constat quod amor amicitiae, quo
quis se amat, non est necessarius, immo contingens et in nostra
potestate. Alioquin non possemus non plus vel minus amare, nec
caderet virtus et vitium circa istum amorem, cum virtus sit habitus
electivus, et cum de his quae necessario insunt non vituperemur.
90 Ergo si contingit circa istum amorem recte agere et errare, immo
et seipsum contemnere propter Deum, necesse est quod nullius
boni concupiscentia respectu sui insit immobiliter et necessario
voluntati.

Sic ergo patet tertia propositio, in qua tertius articulus termi
95 natur.

24-26 Cap. IV luntina III 18ra. 26-27 Cap. II *ibid.* 40vb-41ra. 36-37 *ibid.*
 1ra. seq. et 70rb.
 67 complacentia/finis ultimi non est necessaria *addidit sed delevit B.* 76 seu/
 sed B.

D. *Ubi solutio obiectorum remittitur.*

136 Per ea vero quae in secundo articulo superius sunt inducta
 contra rationes doctorum, patet responsio ad obiecta. Unde, non
 oportet nisi ea, quae dicta sunt arguendo, reducere ad formam re-
 sponsionis.

2 Vide supra num. 65-113. 3 Videsis num. 15-46.
 1 solutio obiectorum/solvantur obiecta B.

Franciscan Institute Publications

TEXT SERIES NO. 3

Edited by Eligius M. Buytaert, O.F.M.


PETER AUREOLI SCRIPTUM SUPER PRIMUM SENTENTIARUM

Edited by

Eligius M. Buytaert, O.F.M., S.T.D.

D. Litt. et Hist. Orient.

I
 Prologue — Distinction I



8350

Published by

THE FRANCISCAN INSTITUTE
 ST. BONAVENTURE, N. Y.

and

E. NAUWELAERTS
 LOUVAIN, BELGIUM

F. SCHÖNINGH
 PADERBORN, GERMANY

1952